

5 hft.

B. 110.



F 9

OBSERVATIONVM PHILOLOGICARVM  
AD

CL. MAMERTINI  
PANEGYRICVM GENETHLIACVM  
MAXIMIANO AVG. DICTVM

PARS ALTERA

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIB. SCHVVARZIO

COM. PAL. CAES. ET ACAD. ALTORFINAE SENIORE

XII IAN. A. S. R. CIO IO CCXXXVII

DISQVIVISIONI CYCLICAE  
SVBIIICIT

IOHANNES STEPHANVS IONINGER  
NORAMBERGENSIS

*ad not. 62.*



---

ALTORFII NORICORVM

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

3 1/2



OPREKATIONUM HEMOLOGICARUM  
CLAMANTIA  
HISTORICUM  
MAXIMIANO AD. DIGNUM  
PAPA ALEXANDRO

CHRISTIANO PONTIFICI  
COMITIBUS



ALBERTI HOLLERMANNI  
GEORGI MARIANI ACADEMICO



VIRIS

SVMME. REVERENDO. AMPLISSIMO ATQVE. EXCELLENTISSIMO

DOMINO

GVSTAVO. PHILIPPO. MOERLIO

TOTIVS. VENERANDI. MINISTERII. NORIBERGENSIVM. ET. ECCLESIAE

AD. D. SEBALDI. ANTISTITI. GRAVISSIMO

SS. THEOLOGIAE. PHILOSOPHIAE. MORALIS. ET. GEOGRAPHIAE

PROFESSORI. PVBLICO

AC. PERILLVSTRIS. REIPVBLICAE. NORIBERGENSIS

BIBLIOTHECARIO. CELEBERRIMO

PLVRIMVM. REVERENDO. PRAECLARISSIMO. ATQVE

DOCTISSIMO

DOMINO

IOANNI. CONRADO. BECKIO

AD. D. LAVRENTII. DISPOSITORI. VIGILANTISSIMO

ITEM

PRAENOBILISSIMO. AC. IVRIS. PERITISSIMO

DOMINO

ANDREAE. WOLFGANGO

MERCKELIO

PERILLVSTRIS. SENATVS. NOR. PRIMICERIO

BENE. MERENTISSIMO

VIRTVTIS. LAVDE. PRAESTANTISSIMO. AC. INTEGERRIMO. VIRO

DOMINO

IOHANNI. GEIGERO

SENATVI. NVMEROSIORI. ADSRIPTO

FENIZERIANORVM. LEGATORVM. EXECVTORIBVS

SPECTATISSIMIS

DOMINIS. ET. PATRONIS. NEC. NON. LITTERARVM

PROMOTORIBVS

OMNIS. PIETATIS. ET. DEMISSI. ANIMI. CVLTV. AETATEM

DEVENERANDIS

PRIMITIAS. HASCE. ACADEMICAS  
SACRAS. ESSE. IVBET

SIMVLQVE

IMMORTALIS. AC. PRAEPOTENTIS. NVMINIS  
GRATIAM. VBERRIMAM  
OMNIS. GENERIS. FELICITATEM. AC. PROSPERITATEM  
CERTISSIMAM

DENIQVE

ANNI. HVIVS. NOVI. MVLTOQVE. PLVRIVM. INSEQVENTIVM  
PROGRESSVM. EXOPTATISSIMVM  
EX. INTIMI. ANIMI. ADFECTV. COMPRECATVR  
HORVMQVE. PATROCINIO. ET FAVORI

SE. SVAQVE. LITTERARVM. STVDIA

QVAM. OBSERVANTISSIME. QVAM. DILIGENTISSIMEQVE

COMMENDAT

RESPONDENS

DIVINIORVM. ET. HVMANIORVM. LITTERARVM. CVLTOR



CAP. III. *Reddidimus* tamen rationem  
*solicitudini nostrae*, et, inspecta penitus veri-  
 tate,

32. *Reddidimus*. Veteres pariter atque recentiores editiones habent uerbum praesentis temporis, *reddimus*. Equidem iam Liuius quondam arbitratus est, *reddidimus*, esse sincerum; atque Iacobus de la Baune idem in notis suis probauit: sed neuter hoc tempus in contextum admittere ausus est. Nos audemus; quia id iam a Patarolo editum, atque in altero Gudii libro ex codice MS. annotatum est; deinde, quia idem sententia, ac nominatim subsequens uerbum eiusdem temporis, idque per particulam copulandi adiunctum, *cognouimus*, requirere uidetur; tum, quia nihil facilius fieri potuit, quam ut syllaba, *di*, cum adhuc semel repetenda esset, a librariis omitteretur; prout in aliis legimus, *dicimus*, pro *didicimus*; *credimus*, pro *credidimus*, etc.

33. *Solicitudini nostrae*. Vulgo, pro *nostrae*, editum legimus, *uestrae*. Gruterus primus in notis monuit, omnino legendum uideri, *nostrae*; et ita placuisse Bongarsio: quorum monito obsecutus Cellarius exhibuit hanc lectionem. Iac. de la Baune censuit, utramuis eligi posse; uel *nostrae* de uobis sollicitudinis; uel *uestrae* de nobis. Verum utique

tate, cognouimus, quae caussa faciat, ut nun-  
 2. quam otio acquiescere uelitis. Profecto enim  
 non

praestat admittere, *nostrae*. Nihil enim antea Mamerti-  
 nus dixerat de *solicitudine Imperatorum*; at bene meminerat  
 sollicitudinis bonorum ciuium imperii de salute atque incolu-  
 mitate Imperatorum, Diocletiani et Maximiani, cum in pro-  
 ximo Capite diceret: *Ipsa uis diuinitatis - uos tantis discursi-  
 bus, (i. e. itineribus) toto, quem regitis, orbe deducit, ut  
 nos semper anxios uestrae charitate nuper ad libertatem pie  
 conquestionis impulerit*, etc. Similiter fere loquitur incertus  
 auctor panegyrici Constantino Augusto dicti, *cap. I: Hoc  
 maiores pro te suscepimus metus, quod nobis potius, quam tibi,  
 consulebas*. Sed in his uocibus adhuc aliam obseruamus ua-  
 rietatem, quam nullus editor, quantum nobis constat, huc-  
 usque animaduertit. Nam cum in omnibus libris Mamer-  
 tini antehac excusis legerimus, *solicitudinis*; iam in Codice  
 nostro, et in utroque libro Gudiano, non casum gignendi,  
*solicitudinis*, sed casum dandi, *solicitudini*, deprehendimus.  
 Quam lectionem haud contemnendam existimauimus; ita ta-  
 men, ut potissimum hanc emendationem ad aliorum iudici-  
 um deferamus. Tunc enim, si *ratio* pro *modo* accipiatur;  
 prout saepius sumitur a probatis linguae latinae scriptoribus,  
 ac si haec uerba: *Reddidimus tamen rationem sollicitudini  
 nostrae*, sic interpretemur: *Statuimus tamen modum sollicitudini  
 nostrae, eandemque ad rationem redegitimus, et temperauimus*;  
 omnino sententia menti Mamertini perquam congruens hinc  
 existit; cum mox sequatur *ratio*, cur boni ciues temperarint  
 moderatque sint suam sollicitudinem pro incolumitate Impe-  
 ratorum; quia nempe cognouerint, Iouem, conditorem ge-  
 neris



non patitur hoc coelestis ille uestri generis conditor. Nam primum omnium, quid-  
quid

neris Diocletiani et Maximiani, non pati hos Imperatores otio acquiescere; prout et aliquanto inferius, §8, loquitur Mamertinus: *Vestra numina semper aliquid agunt, agendumue curant, ut iam nobis illa, quam pro uobis susceperamus, cura ponenda sit; cum non laborare uos, sed parentes deos uideamus imitari.* Eodem modo puto explicari sic posse apud Quintilianum, *Declam. CCLXXXVII*, haec uerba: *rationem reddere irae suae; si uoces, irae suae, in casu dandi accipiantur, i. e. temperare ratione irae suae, siue, flatuere modum irae suae.* Haec enim legimus apud Quintilianum: *Meruit quidem, qui eruit oculos, ut et ipse perdat: si tamen habuerit misericordiam, si inciderit in eum, qui aliquatenus reddere irae suae rationem posset, gratiam referat.* Tunc sane hic Quintilianus locus nulla indigeret emendatione; neque necesse foret, ut, quod Gronouius censuit, reponamus: *qui aliquatenus temperare irae suae ratione posset; uel, coercere iram suam ratione;* cum haec ipsa sententia, iam in uulgata lectione lateat.

34. *Profecto enim.* Particulam, *enim*, praetermittunt, Nauius, Liuineius, et Baunius; cui tamen alii scripti excusique libri locum concedunt.

35. *Ille uestri generis conditor.* i. e. Iupiter. Quamquam seorsum Diocletianus Iouem, et Maximianus Herculem, sui generis auctores iactarent; quod iam in prima parte harum Observationum, pag. 8, ostendimus; hoc ramen loco Mamertinus Iouem utriusque Imperatoris generis conditorem designare uidetur. Quid uero mirum? cum Iupiter *Rex hominumque deumque* haberetur, ita, ut eidem etiam

quid immortale est, stare nescit; sempiterno-  
 3. que motu se seruat aeternitas. Deinde prae-  
 cipue uestri illi parentes, qui uobis et nomi-  
 na

id, quod per alios deos effectum, non raro tribui soletur. Adhaec tanta istorum Imperatorum concordia esse dicebatur, ut generis sui auctores deos mutuo colerent, et Diocletianus Herculem, ac Maximianus Iouem, conseruatorem, in nummis suis signarent.

36. *Quidquid immortale est, stare nescit.* Pertinent huc, quae Seneca, in *Consolatione ad Heluiam*, cap. VI, tradit: *Mens humana ex illo coelesti spiritu descendit; coelestium autem natura semper in motu est; fugit, et uelocissimo cursu agitur.* Aristoteles, *lib. I de coelo*, Cap. III: *Θεὸς δὲ ἐνέργεια ἀθάνατος. τὸ το δὲ ἐστὶ ζωὴ αἰδίου, ὥστε ἀνάγκη τῷ θεῷ κίνησιν αἰδίου ὑπάσχεσθαι.* Cicero, *lib. I Quaesit. Tuscul.* cap. 27: *Nec uero Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam ac libera, segregata ab omni concrectione mortali, omnia sentiens et mouens, ipsaque praedita motu sempiterno.* Latinus Pacatus, *Paneg.* Cap. X: *Gaudent profecto diuina perpetuo motu, et iugi agitatione se uegetat aeternitas.*

37. *Se seruat aeternitas.* Quaerit Acidalius: quid si uersat? Non reiicerem uerbum, uersat, si in uetustis codicibus reperiatur; sed extra haec suffragia nec uerbum uulgarum atque in omnibus libris expressum, seruat, uelim deferere; cuius compositum, conseruat, in eodem argumento posuit Seneca, l. c. *Dei natura*, inquit, *assidua et citatissima commutatione, uel delectat se, uel conseruat.*

38. *Vestri*

na et imperia tribuerunt, perpetuis maximorum operum actionibus occupantur. Ille 4. siquidem Diocletiani auctor deus, praeter de-

38. *Vestri illi parentes.* scil. Iupiter et Hercules.

39. *Et nomina et imperia.* In priore libro Gudii ex Codice MS. annotatum est, ibi copulam priorem, et, omissam esse, atque pro uoce, *nomina*, legi *omina*. Sed bene stare potest illa copula; ac perperam scriptum est, *omina*; cum designentur nomina *Iouiani* et *Herculei*, de quibus in priore Parte, pag. 6, egimus. At et imperii sui auspiciis ad deum referre uideri uolebant isti Imperatores: quia, quod Diotogenes Pythagoraeus apud Stobaeum ait, Θεόμιμόν ἐστι πρᾶγμα βασιλεία, *Regnum diuina res est.* Et secundum Callimachum, *hymn. in Iouem*, u. 79: Εξ δὲ Διὸς βασιλῆες.

40. *Titanas.* Hi, tradente Seruio, ad Virgil. *lib. VI Aen. u. 580*, sic appellabantur ἀπὸ τῆς τίσεως, i. e. ab ultione, quia credebantur ab irata contra deos Tellure ad eius ultionem creati. Titanes et Gigantes, tanquam monstra συγγενῆ, cum, teste Isidoro, *lib. XV, cap. I*, utrumque genus ex Coelo et Tellure natum perhiberetur, non raro in ueterum mythologia confunduntur: aliquando tamen distingui solent, ut ab Apollodoro, *lib. I biblioth. cap. I*, et a Seruio, l. c. Etiam Mamertinus Titanomachiam a Gigantomachia distinguere uidetur. De illa agit Hyginus, fab. CL: *Postquam tunc uiderat, Epaphio ex pellice nato, tantam regni potestatem esse, hortatur Titanas, Iouem ut regno pellant, et Saturno restituant. Hi cum conauerentur in caelum ascendere, eos Iupiter cum Minerua, et Apol-*

depulsos quondam coeli possessione Titanas,  
et mox biformium bella monstrorum,  
per-

*Apolline, et Diana, praecipites in Tartarum deiecit. De Gigantomachia Claudianus, et Ovidius, nisi et hi forte utrumque genus commisceant. Ovidius, lib. I Metam. n. 152, seqq.*

*Affectasse ferunt regnum coeleste Gigantas;  
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.  
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum  
Fulmine, et excussit subiecto Pelio Ossam.*

Quidam tradunt, per Gigantas designari uentos Typhonas; alii, Tyrannos; alii seditiosos, rebelles, sacrilegos, et impios, interpretantur. Macrobius, lib. I Saturn. cap. 20: *Gigantas quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem, deos negantem; et ideo aestrinatam deos pellere de coelesti sede uoluisse; horum pedes in draconum uolumina desinebant.* Ceterum Accusatiuus pluralis a *Titan* terminatur promiscue in *es*, et *as*. Sic Navius et Liuius edidere *Titanes*; ceteri scripti impressique libri habent *Titanas*.

41. *Biformium bella monstrorum.* Sine dubio per *biformia monstra* designantur *Gigantes*. Sic Albricus Philosophus de *deorum imaginibus*, fab. XII: *Erantque*, inquit, *Gigantes pedibus serpentinis*; quanquam Albricus *Gigantas* non a *Titanibus* distinxisse uideatur. Etiam Ovidius, lib. V *Fast.* n. 35, *Gigantas* uocat *immania monstra*, et illis *mille manus*, atque pro *cruribus angues*, tribuit: Idem etiam lib. III *Trist. Eleg.* VII, appellat *Gigantas serpentipedes*.  
Lactan-

perpeti cura quamuis compositum gubernat imperium, atque hanc tantam molem infa-  
tiga-

Lactantius Placidus, *Fab. V*, eos saltem immensae molis et similes matri filios uocat, quos parens Terra progenuerit, et quorum magnitudini par sparserit audacia. etc. Apollodorus, *lib. I, cap. 6*, tradit, Gigantas non modo corporis magnitudine praecelluisse, sed uiribus etiam fuisse inuictissimos; terribili plane uultu, ac promisso e capite capillo, ac proluxa e mento barba praeditos, habuisse pedes anguineos prodi. Puteolanus, Nauius, et H. Stephanus, non *biformium*, sed *deformium*, *bella monstrorum*, edidere. Dubites, utram lectionem amplectaris? Mamertinus etiam in priore Paneg. *cap. II*, Geryonem appellat *pastorem trino capite deformem*. Seneca, *Agam. u. 841*, *triformem*. At in eiusdem panegyrici *cap. IIII*, ubi Mamertinus ad eandem fabulam Gigantum alludit, eosdem uocat *monstra biformia*. Minotaurum quoque Ouidius, *lib. VIII Metam. u. 156*, dicit *monstrum biforme*. Ergo retineamus hanc uocem, quae iam plurima Mamertini exemplaria occupauit. Codex noster MS. ipsam hanc uocem ostendit, quamquam non decente casu, sed *biformia*.

42. *Perpeti cura*, i. e. perpetua cura; prout Mamertinus, prioris paneg. *Cap. III*, dixerat: *perpeti sollicitudine*; ad quem locum uide notam nostram, *pag. 34*. Rhenanus, Nauius, Liuius, et H. Stephanus, euulgarunt: *praepeti cura*; sed uox, *praepes*, cum proprie pro ueloce sumatur, minus huc facit.

43. *Quamuis compositum gubernat imperium*. Particula, *quamuis*, sine sequenti, *tamen*, posita, hoc loco significat, *quantumuis*, siue *quamlibet*. Sic et ipse Cicero

H

loqui-

tigabili manu uoluit, omniumque rerum ordines ac uices seruat. Neque enim tunc tantummodo commouetur, cum tonitrua in-  
cutit, et fulmina iacit; sed etiam, si tumul-  
tuan-

loquitur, *lib. II ad famil. epist. 16*: *Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiae latebris contentus essem.* Grammatica uerborum structura apud Mamertinum haec est: siquidem deus, ille auctor Diocletiani, gubernat perpeti, siue continua, cura imperium quamuis compositum; i. e. quantumuis iam ante a se compositum, atque in ordinem redactum.

44. *Omniumque rerum ordines.* Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Nauis, Liuincius, H. Stephanus, et Patarol, pro particula, *que*, edidit, *quoque*. At Codex noster ceterorum librorum lectionem confirmat; nec male pro numero multitudinis, *ordines*, reponit singularem, *ordinem*, qui numerus etiam alteri libro Gudiano adscriptus est. Bene tamen etiam stat uulgata lectio. Sic Cicero, *de nat. deor. cap. 20*: *Deus rerum uicissitudines ordinesque conseruat.*

45. *Sed etiam, si.* Possis etiam legere: *sed etiam si*; sicut in non nullis libris scriptum editumque est.

46. *Et fata disponit.* Etsi haec uerba usque adhuc ex omnibus libris impressis exularint, digna tamen nobis uisa sunt, quae in contextum admitterentur; cum ea non solum Liuincius ex antiquo Codice monasterii Bertiniensis annotarit; sed etiam nunc in nostro Codice inueniantur; licet hic pro uoce, *fata*, uulgari librarium errore scriptum sit, *facta*: cuius erroris exempla quaedam annotauimus ad Plinii panegyricum, *cap. XVII, 2*; *LXXX, 5*; *LXXXV, 5*; et sigillatim ad medium locum testimoniis ueterum declarauimus, Iouis existimatum esse, etiam fata hominum dispensare.

47. *Tacitae*

tuantia elementorum officia pacauit, nihilo-  
minus tamen *et fata disponit*, et ipsas, quae  
tacitae labuntur, auras placido sinu fundit,  
et in aduersa coeli nitentem impetu rapit so-  
lem.

47 *Tacitae labuntur.* Quidam editores pro epitheto  
adiectiuo aduerbium prodidere, *tacite*; non prorsus perpe-  
ram; cum *aurae tacite labi* dici queant; sicut Ouidius, *lib. I*  
*Fast. u. 65*, dixit: *Iane biceps, anni tacite labentis imago.*  
Nobis tamen elegantius uidetur, si retineatur adiectiuum.  
Sic et idem Ouidius, *lib. VI Fast. u. 771*, dixit: *tacitisque*  
*senescimus annis.* Et in *Remedio amoris, u. 105*: *Tacitae ser-*  
*punt in uiscera flammae.* etc.

48. *Et in aduersa coeli nitentem impetu rapit solem.*  
Haec ita interpretatur Baunius: *Et fulgentem solem cum cele-*  
*ritate abripit in aduersam coeli partem.* Sic Patarol: *Cum*  
*ad Tropicos peruenit Sol, eum retrouertere iubet uersus aequa-*  
*torem; bis in anno: solstitio nempe hiemali, mense Decembri;*  
*et aestiuo, mense Iunio.* Non solum Liuineius ex suo Codice  
ueteri haec uerba aliquantum transposita adscripsit margini  
libri sui: *et in aduersa nitentem impetu coeli rapit Solem;* sed  
hanc transpositionem etiam in nostro Codice animaduerti-  
mus: ex qua uero nescimus, quod maius lumen sententiae  
Mamertini affulgeat. *Aduersa coeli*, i. e. per enallagen, ad-  
uersum coelum, siue aduersa coeli plaga; secundum tritam for-  
mulam: *usurpata collium, abrupta montium*, etc.

49. *Itidem, Maximiane.* Quidam libri post *Itidem*  
ponunt, *quoque*; alii simpliciter, *que*. Nobis praecipue pla-  
cet, quod utraque haec particula, cum in nostro Codice,

6. lem. Itidem, Maximiane, Hercules, tuus  
*auctor, qui, dum inter homines erat, terras  
 omnes*

tum in utroque libro Gudiano, prorsus omiſſa eſt: quam-  
 quam et particulam, *que*, facilius, quam *quoque*, ferremus.

50. *Hercules, tuus auctor, qui.* Satis incommode  
 antehac in omnibus excuſis libris legebatur: *Hercules tuus,  
 mitto quod, cum inter homines erat* etc. Lectio, quam nunc  
 primi euulgamus, mire nobis arridet; quae non ſolum in  
 utroque libro Gudiano ex antiquis Codicibus annotata legi-  
 tur; ſed etiam a noſtro Codice diſerte confirmatur. Ita  
 uero haec uerba bene concinunt ſuperioribus, ubi de Dio-  
 cletiano ſermo erat: *Ille ſiquidem Diocletiani auctor deus*, etc.  
 Neque nunc aliquid per praeteritionem omittere, ſed potius  
 utrumque exprimere, uoluiſſe uideretur Mamertinus, quid,  
 cum in terris adhuc uerſaretur, Hercules, et cum inter coe-  
 lites receptus eſſet, egerit. Mira autem haec corruptela eſt,  
 qua pro uerbis, *auctor, qui*, reſoſita ſunt; *mitto, quod*; ita,  
 ut, ſi abſque praefidio Codicum MSS. fuiſſet, uix ulla criti-  
 ces regula haec emendatio indagari potuiſſet.

51. *Dum inter homines.* Sic ſcriptum inuenit Liui-  
 ius in ſuo et Bertinienſi Codicibus; uulgo editum eſt, *cum*,  
 pro *dum*.

52. *Terras omnes.* Sublatis monſtris omnibus et bel-  
 luis ferociſſimis, quae agros infeſtabant, quales erant *Leo Ne-  
 meus, Hydra Lernaea, Aper Erymanthius, Equae Diomedis*, etc.  
 Patarol. Inde autem Hercules in numinis aliquando uoca-  
 tur PACATOR ORBIS.

53. *Dominiſ crudelibus liberauit.* Sublatis, Diomede  
 Biſtonum, Geryone, Hiſpaniae Regibus. Patarol.

54. *Dira-*



omnes et nemora pacavit, urbes dominis crudelibus liberauit, etiam coelo dirarum alitum uolu-

54. *Dirarum alitum.* Duo potissimum dirarum alitum genera occurrunt in mythologia: *Harpypiae* et *Stymphalides*. Harpypias Hesiodus, *Theog. u.* 265, dicit Thaumantis et Electrae filias. Illas sic breuiter describit Virgilius, *lib. III Aen u.* 214: *Tristius haud illis monstrum, nec saeuior ulla pestis, et ira deum Stygiis sese extulit undis; Virginei uolucrum uultus, foedissima uentris proluuias, uncaeque manus, et pallida semper ora fame.* Stymphalidas aues a Stymphalo, Arcadiae opido et palude, sic dictae, quas Hyginus, *Fab. XX*, dixit pennis suis pro sagittis confixisse homines. Atque de iisdem Claudianus, *Eidyll. II de Hystrice*: *Audieram*, inquit, *memorande, tuas, Stymphale, uolucres spicula uulnifico quondam sparsisse uolatu; Nec mihi credibilis ferratae fabula pinnae Visa diu.* Harum auium meminit et Lucretius, *lib. V, u.* 31: *Vncisque timendae Vnguibus Arcadiae uolucres Stymphala colentes.* Scilicet hae aues dicebantur pinnis ferratis, seu spiculis, aduenas conficere. Dubitarunt non nulli, ad quod genus auium ea referenda, quae hic narrat Mamertinus? Gruterus et Patarol attribuunt ista Harpyiis; quae rectius Cellarius refert ad Stymphalidas. Has enim dispulsa caefasque multi ueterum numerant inter Herculis labores. Pausanias, *lib. VIII, cap. 20*, refert, fabulis uulgatum esse, Stymphali, urbe Arcadiae, aliquando aues, quae humana carne uictarint, ab Hercule sagittis confectas; at, teste Pisandro Camirensi, non peremtas eas ab Hercule aues, sed crepitaculorum sonitu e loco pulsas esse. Apollodorus, *lib. II, cap. VIII, 6*, tradit, Stymphalidas ab Hercule partim quassatis aeneis cre-

uolucra tela detraxit, etiam terrores inferum,  
 abducto custode, compefcuit: exinde certe  
 nihil

pitaculis dispulfas, partim fagittis confixas effe. Seneca, in *Hercule Furente*, u. 243, generatim: *Solitas*, inquit, *pennis condere obductis diem, petiit* (Hercules) *ab ipsis nubibus* (i. e. coelo detraxit,) *Stymphalidas*. Spanhemius, *Dissert. V*, p. 256, discrimen Stymphalidum et Harpyiarum ostendit, Stymphalidisque imaginem in nummo quodam L. VALERII reperisse sibi uisus est.

55. *Uolucra tela*. Sic uocat Mamertinus pennas Stymphalidum, quia hae pennis suis pro fagittis usae perhibentur. Olim hae uoces corruptae et in unam contractae legebantur, *uolucratilia*. Iam tamen Cuspinianus euulgarat ueriuorem lectionem; quam demum Gruterus, et alii recentiores receperunt. Et ante hos iam Liuius ex suo uetere et Bertiniensi Codice in ora editionis suae annotarat, *uolucra tela*. Quam scripturam noster quoque Codex refert. Opinamur quidem, *uolucra* et *uolucra* recte dici posse, quia casus gignendi in numero multitudinis habet, *uolucrum* et *uolucrum*: praefertimus tamen, *uolucra*; ne *uolucra* in numero multitudinis confundatur cum nomine singulari, *uolucra*; per quam apud Columellam, de *arborib. cap. 15*, designatur insectum, a quo teneri pampini et uuae praeroduntur.

56. *Abducto custode*. Quid notius Cerbero, cane tricipite, et ianitore ac custode inferorum? quanquam Hesiodus Cerbero quinquaginta tribuat capita; Horatius, centum. Fabulam breuiter exponit Albricus philosophus, num. XXII: *Hercules*, inquit, *ad inferos descendit, et Cerberum tricipitem sibi ad ostium inferni resistentem, triplicem uinctum*

nihilominus , post adoptionem coelitum ,  
Iuuentaеque connubium , perpetuus est uir-  
tutis

*uinctum catena , uidelicet singula faucibus intorta , ab ostio  
abstraxit , et Alcestim ex inferno reduxit.*

57. *Post adoptionem coelitum.* Apollodorus , *lib. II, cap. VII , 7* , narrat , Herculem , postquam is Oetam mon-  
tem conscenderit , et rogo a se constructo ignem subiici iusse-  
rit , a nube cum tonitru sublata in coelum euectum esse ;  
inde immortalitatem adeptum , et reuocatum in gratiam  
cum Iunone , Heben , illius filiam , duxisse uxorem. Dio-  
dorus Siculus , *lib. III , pag. 170* , adiicit , quod post  
euectionem ad deos , Iuno , Iouis suasu , filium sibi Hercul-  
em *adoptauerit* , et deinde Heben Herculi nuptum dederit.  
Cuius *adoptionis ritum* ibi simul exponit Diodorus ; unde in-  
telligimus , Mamertinum non frustra *adoptionem* Herculis in-  
ter coelites nominasse.

58. *Iuuentaеque connubium.* *Iuuenta* , siue *Iuuentas* ,  
est illa ipsa *Hebe* , de qua modo dixi , et quae Herculi , post  
adoptionem coelitum , a Iunone in matrimonium data est ,  
quam Iupiter praefecerat iuuentuti. Hinc Festus : *Iuuentatis  
sacra pro iuuenibus sunt instituta.* A Romanis sub Latino *Iuuen-  
tutis* , siue *Iuuentatis* , nomine culta fuit , aedemque in Circo  
maximo habuit , teste Liius , *lib. XXXVI , 36* . Et , quod  
Pausanias narrat , olim *Ganymeda* audiuit haec dea , cum  
Ioui bibere ministraret. Hinc Cicero , *lib. I Quaes. Tu-  
scul. cap. 26* ; *Non ambrosia deos , aut nectare , aut Iuuen-  
tate pocula ministrante , laetari arbitror.*

59. *Omni-*

tutis adfertor; omnibusque fortium uirorum laboribus fauet, et in omni certamine conatus  
7. adiuuat iustiores. His quidem certe diebus, quibus

59. *Omnibusque.* Exemplaria Puteolani, Rhenani, Nauii, H. Stephani et Liuineii, habent; *omniumque.* Ast nostram lectionem, praeter alias editiones, etiam asserunt Codices MSS.

60. *Diebus, quibus immortalitatis origo celebratur.* h. e. quibus natalis celebratur Imperatorum diuinorum et immortalium.

61. *Sacris certaminibus accitos.* In omnibus editis libris praemissa praepositio, *a*, legitur *a sacris certaminibus.* Dudum coniecimus, istam praepositionem hic superuacuum esse; nescii, unde ea irrepserit; nisi quod suspicemur, primum fortasse scribi debuisse, *ad sacra certamina*; imprudentem autem librarium scripserit, *a sacra certamina*; tandem alium paullo sagaciorem, ut uoces rectius cohaerent, reposuisset, *a sacris certaminibus*; quae tamen uarietas nondum satis mentem Mamertini exprimit. Vnde et Acidalius, atque Patarol, saltem hanc propositionem suspectam habere; quam nunc penitus tollendam existimauimus; primo, quia et alter Gudii liber indicio est, eam auisse ueteri codici; deinde quia, si uel maxime fingas, hic designari Graecorum certamina, a quibus Romam ad publicos ludos in natalibus Augustorum celebrandos acciti sint athletae, et alii artifices; minus tamen credibile est, solos Graecos tunc admotos fuisse istis Romanorum certaminibus; cum Italia ipsa huiusmodi robustorum uirorum ferax esset. Neque

quibus immortalitatis origo celebratur, insti-  
gat, ut uideamus, illos sacris certaminibus acci-  
tos, ut pertinaci animositate certandi mul-  
ta

que tamen solorum Graecorum ἀγῶνες dicebantur *ισγοί*, i. e. *certamina sacra*; sed etiam Romanorum: apud quos scilicet, uti generatim cura ludorum publicorum pertinebat ad sacra; ita et huiusmodi certamina, maxime quae in honorem Augustorum instituebantur, audiebant *sacra*. Vnde et Eumenius, *pro restaur. scholis*, cap. XIII: *Fortissimi uiri*, inquit, *in sacris certaminibus summo labore, atque etiam uitae periculo, solam uocem praeconis, et coronae testimonium, ponunt*. Hic adeo non Graecorum certamina sacra, a quibus Romam auocati sint, sed ipsorum Romanorum *certamina sacra*, sunt intelligenda, quae in honorem natalium utriusque Imperatoris, cursu, aut pugillatione, et luctatione, curriculouae equorum, celebrabantur, et quibus celebrandis acciebantur, h. e. adhibebantur, siue adscisciebantur, huiusmodi robusti fortesque homines. Neque enim illi solum *acciri* dicuntur, qui peregre per nuntios, aut literas, euocantur; sed etiam, qui, cum prope adfuerint, alicui negotio admouentur, siue adsciscuntur. Sic apud Iustinum, *lib. XXII, cap. V*, Agathocles, *cum Syracusas concessisset*, (et cum iam ultro adesset,) dicitur *in ciuitatem inter incolas accitus*.

62. *Ipsius similia Victoris*. Per *Victorem* hic designatur Hercules, qui κατ' ἔξοχὴν dictus *Victor*; quod nimirum Hercules omne animalium genus uicerit, ut tradit Varro, apud Macrobius, *lib. III Saturnal. cap. 6*. Sic et Virgilio appellatur, *lib. VIII Aen. u. 363*: *Haec limina*  
Victor

s. ta faciant ipsius similia Victoris. Adeo, sacratissime Imperator, utraque uestra numina semper aliquid agunt, agendumue curant, ut iam nobis illa, quam pro uobis susceperamus, cura ponenda sit: cum non laborare uos, sed parentes deos uideamus imitari: cumque

*Victor Alcides subiit.* Ad quem locum notat Seruius, Romae *Victoris Herculis aedes duas esse; unam ad portam Trigemina, alteram ad forum boarium.* De quo tamen Seruii loco adire licet Salmasium, *Exercitat. Plin. pag. 10.* Sic etiam ipse Mamertinus, in priore panegyrico, cap. XIII, 4: *Roma, inquit, inuocat STATOREM IOVEM, HERCVLEMQUE VICTOREM: Hoc enim quondam illi deo cognomen adscripsit is, qui, cum piratas oneraria naue uicisset, ab ipso audiuit Hercule per quietem, illius ope uictoriam contigisse.* Quam historiam refert Macrobius, *lib. III Saturn. cap. 6.* Sub his cognominibus etiam Traianus Ioui et Herculi nota soluit in antiqua inscriptione:

IOVI STATORI HERCVLI VICTORI  
M. VLP. TRAIANVS CAESAR  
VICTO DECEBALO DOMITA  
DACIA VOTVM SOLVIT.

Huc etiam pertinet nummus, cuius figuram ex Begeri *Tbe-  
saurò Brandenburgico, T. I pag. 781*, delineandam, et harum  
Observationum principio praefigendam, curauimus; in cuius  
parte aduersa caput Imperatoris lauru cinctum, laeuaeque  
obuerfum, cernitur, cum epigraphe: *MAXIMIANVS Pius Felix  
AVGVSTVS.* In parte auersa Hercules, spoliis infidens, dextra  
clauae

que praeterea ingenitum illum uobis diuinae  
 mentis ardorem etiam earum, quae primae  
 uos susceperē, regionum alacritas excitarit.  
 Non enim in otiosa aliqua deliciisque corru-  
 pta parte terrarum nati institutique estis; sed  
 in his prouinciis, quas ad infatigabilem con-  
 sue-

clauae innititur, sinistra exuuias leonis tenet, cui adstat pha-  
 retrā sagittis referta, item et arcus, cum inscriptione: HER-  
 CVLI VICTORI. Quem nummum non quidem cum Behero  
 referre uelimus ad tempus, quo Maximianus se abdicarit im-  
 perio, quia sedens quiescere uideatur: credimus tamen, ibi  
 Maximianum, post tot hostes deuictos, peragratosque Ro-  
 mani orbis fines, quasi Herculis ritu paullisper respirantem  
 repraesentari. Ceterum, sicut Hercules maxime a militibus  
 athleticisque colebatur; ita Mamertinus hoc loco significare  
 uoluit, homines sacris certaminibus a Diocletiano et Maxi-  
 miano accitos ita instigari ad uirtutem adiuuarique a numine  
 Herculis, ut multa faciant edantque fortitudinis suae experi-  
 menta, quae sint uirtuti ipsius Herculis Victoris similia.

63. *Quae primae uos susceperē.* Hic Mamertinus Dio-  
 cletianum Maximianumque a patria collaudare instituit. Fuit  
 uero patria Diocletiani Dalmatia; Pannonia Maximiani.

64. *Fracto licet oppositus hosti.* Antehac in omnibus  
 libris euulgatum fuit: *fractus oppositus hostis*; sed parum com-  
 mode. Liuineius in uetere Codice pro, *fractus*, inuenerat,  
*fracto*: qua occasione in notis scripsit: *Sequitur fracto, sed iu-  
 uem ultra, et omnino rescribam: fracto licet opposito hoste,*  
 I 2 armis

fuetudinem laboris atque patientiae, *fracto*  
 licet oppositus *hosti*, armis tamen semper in-  
 structus, miles exercet, in quibus omnis  
 uita

armis tamen semper instructus, limes exercet. Haec Liui-  
 nei: qui parum a scopo abiit; nisi quod participium,  
*oppositus*, etiam in casum auferendi mutandum minus pro-  
 spero censuerit, et pro, *miles*, reponendum duxerit, *limes*.  
 Nec placet emendatio ab Acidalio tentata: *fractis licet oppo-*  
*sitis hostibus, armis tamen semper instructus miles exercet*.  
 Nos arctius inhaerentes uestigiis uetusti Codicis Liuiinei,  
 lubentes admittimus, *fracto*, et, retento nominatiuo partici-  
 pii, *oppositus*, solum nomen, *hosti*, quam lenissime accom-  
 modamus alteri participio, *fracto*. Inde haec structura gram-  
 matica horum uerborum existit: *quas (prouincias) miles,*  
*oppositus licet hosti fracto, tamen semper instructus armis, ex-*  
*ercet ad insatigabilem consuetudinem laboris atque patientiae*.  
 Vicinum hostem Pannoniae et Dalmatiae Mamertinus uocat  
*fractum*, quia Diocletianus et Maximianus eius uires nondum  
 penitus contuderant atque dissiparant, fregerant tamen, i. e.  
 debilitarant et comminuerant: nihilominus opponebant isti  
*fracto hosti militem semper armis instructum, qui exerceret istas*  
*prouincias, siue potius earum incolas, ad consuetudinem insati-*  
*gabilem laboris ac patientiae. Frangere autem hostem, non*  
*semper est, delere et concidere hostem; sed et saltem debili-*  
*tare et infirmare. Cicero, pro Rabirio Postumo, cap. 10:*  
*Quae uis summas frangit infirmatque opes. Quin aliquando*  
*frangere minus esse uidetur, quam uincere hostem. Sic idem*  
*Cicero, lib. III ad famil. epist. 7: Victi sumus igitur; aut,*  
*si uinci dignitas non potest, fracti certe.*

65. Miles,



uita militia est, quarum etiam feminae ceterarum gentium uiris fortiores sunt.

CAP. IIII. Ex istis ergo caussis stirpis uestrae,

65. *Miles.* Huius uocis locum in multis libris, et adhuc in Gruteri et Cellarii editione, occupauit, *limes*: sed quis non sentit, aptius dici *miles armis instructus*, quam *limes*, incolas prouinciae exercere ad consuetudinem laboris et patientiae? Restituimus ergo, *miles*, quod nomen iam publicarunt, Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Nauius, Stephanus, Liuineius. Sic uero et alibi ista duo nomina a librariis permisceri consueuerunt, docente Cl. Drackenborchio, ad Sil. Italicum, *lib. V. u. 1.*

66. *In quibus*; scilicet, *prouinciis.* Dalmatia nempe, ut iam diximus, et Pannonia: quarum prouinciarum nationes fuere bellicosissimae. De Dalmatis scribit Florus, *lib. III, cap. XII: Dalmatae plerumque sub fluuijs agunt; inde in latrocinia promptissimi.* De Pannoniis ibidem: *Pannoniæ duobus saltibus ac tribus fluuijs, Drauo, Sauro, Istroque, uallabantur, populatæ prouincias, intra ripas se recipiebant.* Iam Augustus, referente Suetonio, in eius uita, *cap. XXI, domuit partim ductu, partim auspicijs suis, Pannoniam et Dalmatiam, cum Illyrico omni.* Ad ea, quae de fortitudine, seu potius feritate, mulierum utriusque gentis, memorat Mamertinus, forte et haec referri possunt, quae, loco citato, tradit Florus. *Quae fuerit, inquit, illarum gentium feritas, facile uel mulieres ostendere; quae, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum aduersa miserunt.*

strae, patriorumque institutorum, illa ueniunt, quae saepe miramur, interdum etiam pro amoris impatientia timebamus; quod diu-

67. *Patriorumque institutorum.* Equidem *patria instituta* duplici ratione dici posse uidentur, et a *patre*, siue parentibus, et a *patria*. Priore notione dicitur Ciceroni, pro *Roscio Amer.* cap. 16: *Res. patria et aucla*; posteriore, eidem, *Paradox.* III: *Cum mos patrius occiderat*: ubi *Nepos*, XVII, 4, dixit: *patriae institutis parere*. Hic tamen posteriorem notionem magis locum habere posse credimus, quia Orator causas rerum ab utroque Imperatore fortiter gestarum distincte refert, primo ad *stirpem*, stirpisque auctores, Iouem et Herculem; deinde ad mores *patriae* bellicosae.

68. *Veniunt.* i. e. accidunt, eueniunt, oriuntur. In nostro quidem Codice, et in priore libro Gudiano, scriptum est, *eueniunt*. Et sic etiam alibi ista uerba confunduntur; u. g. apud Sallustium, *Iugurth.* cap. 103: *Bocchus, reputando, quae sibi duobus praeliis uenerant*; ubi alii pro *uenerant*, exhibent, *eueniant*; et apud Celsum, *lib.* VII, cap. 27: *Solet uero sub eiusmodi uictu uenire, ut alius non reddatur*; ubi non nulli pro, *uenire*, habent, *euenire*. Hoc autem loco, etsi *euenire* satis commodum haberet locum; non tamen necesse est, ut uulgatam lectionem mutemus; cum τὸ *uenire* etiam alibi ponatur pro *euenire*. Sic Plautus, *Pseud.* Act. II, scen. I: *Proh Iuppiter! ut mihi, quidquid ago, lepide omnia prospereque ueniant*. Tacitus, *lib.* XII, *Annal.* cap. 32: *Id quo promptius ueniret.* i. e. *eueniret.* etc.

69. *Time:*

diutius in iisdem manere uestigiis dedignamini; quod uos continuo rerum cursu gerendarum non modo amoenitas locorum, aut nobi-

69. *Timēbamus.* Acidalius pro *timebamus* gestiit legere, *timemus*; ut haec uerba, *miramur*, et *timemus*, tempore conueniant: sed nos existimamus, Mamertinum significanter dixisse, *timebamus*; ut scilicet significaret, se olim quidem timidos sollicitosque fuisse pro expeditionibus Imperatorum suorum; nunc autem, quod ab initio *cap. III.*; dixit, *reddidisse rationem*, siue modum statuisse, *solicitudini suae*, et iam illam, quam pro Imperatoribus susceperant, curam posuisse.

70. *Non modo.* Res ipsa postulare uidebatur, ut sic scriberetur: *non modo non*; sed altera particula negans, *non*, in nullis panegyrici huius exemplaribus, quotquot nobis innotuerunt, apparet: a cuiusmodi ἄλλοις nec optimi quidem linguae Latinae auctores alieni sunt; immo, quod Guil. Budaeus, in *comment. linguae Graecae* docet, etiam apud Graecos identidem ἔχ ὅτι, μὴ ὅτι, ἔχ ὅπως, aliquando ualent, *non modo*; aliquando *non modo non*. Quae de re egimus, in *notis ad panegyricum Plinii, cap. XVII.*, 3, *pag. 39.* Maxime uero, quod Perizonius ad Sancti Mineruam, *p. 793*, monet, haec ἄλλοις τῶν *non* locum habet, si mox in membro proximo sequatur, *sed ne quidem*. Libet nunc unicum huius generis exemplum ex Cicerone afferre. *Lib. I ad fam. epist. VIII. 23*: Ego, inquit, *non modo praemiis*, quae, *apud me minimum ualent*; *sed ne periculis quidem compulsus aliis*, quibus tamen etiam mouentur fortissimi uiri, *ad eorum causam me adiungerem.*

71. *Victo-*

1. bilitas urbium, sed ne ipsa quidem uictoriarum  
 2. uestrarum laetitia, remoratur. Illum modo  
 Syria uiderat; iam Pannonia susceperat.  
 Tu

71. *Victoriarum uestrarum.* Vulgari errore pro, *uestrarum*, in quibusdam antiquioribus libris expressum est, *nostrarum*.

72. *Illum modo Syria uiderat.* Intellige, Diocletianum. Iam ad primum Mamertini panegyricum, pag. 17, annotaui, Diocletianum anno Christi CCLXXXVII rem aduersus Persas feliciter gessisse, dum Narseo, Persarum Regi, bellum e proximo ostentans, tantum incussit terrorem, ut hic non tantum aduentanti Imperatori ultro cesserit Syria; sed etiam pacem supplex per legationem rogauerit. Ipse Mamertinus, in priore illo panegyrico, cap. 7: *Credo itidem, optimam illam fertilemque Syriam uelut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederant regna Persarum.* Tunc uero Diocletianus, post illam uictoriam, ex oriente reuersus transit Pannoniam, ut hinc ad uindicandam Raetiam progrediretur; et illuc ex Germania se contulerat Maximianus, ut inuicem colloquerentur, ac de rebus imperii deliberarent. Vnde Mamertinus, in priore panegyrico, cap. VIII: *ex diuersa, inquit, orbis parte coeuntes, inuicias dexteris contulistis; adeo fidum fraternumque fuit eloquium, siue colloquium. -- ille tibi ostendendo dona Persica; tu illi spolia Germanica.* Malum enim haec de Pannonico, quam de Mediolanensi colloquio, (de quo Mamertinus in *Genethl. cap. XI*, agit,) explicare; cum hoc demum postea, alio tempore, habitum sit.

73. *Iam Pannonia susceperat.* Liuius coniecit, pro  
*susce-*

Tu modo Galliae opida illustraueras ; iam  
 summas arces Monaeci Herculis praeteribas.  
 Ambo, cum ad orientem occidentemque  
 occu-

*susceperat*, forte legendum, *suscipiebat*; et certe sic uerbum imperfecti temporis conuenire uideretur cum sequenti uerbo, *praeteribas*. Sed huic coniecturae nullus liber addicit; neque necessitas aliqua mutationi adstipulatur.

74. *Galliae opida illustraueras*. Maximianus, cum primum Caesar, deinde Augustus, a Diocletiano adscitus esset, sedem habuit Treuiris, in primaria Galliae Rhenanae Vrbe, ubi fortiter defendit illam prouinciam aduersus rusticanorum factionem, et aduersus Burgundiones atque Alemannos, item et Chaibonas et Erulos, irruentes in Galliam; de quibus rebus gestis Mamertinus iam egit in priore panegyrico. Verbum, *illustraueras*, Liuienius simpliciter interpretatus est per *inuiferas*; itemque hunc secutus Cellarius: sed istud uerbum, si de praesentia magnorum Principum Heroumque usurpatur, utique amplius aliquid innuere uidetur, ita, ut haec uerba sic explicare uelimus: Tu modo opida Galliae praesentia tua rebusque gestis illustriora reddideras. Cicero, *pro Marcello*, cap. II: *Terrae tuis, non dicam, cursibus, sed uictoriis illustratae sunt*; nisi ibi cum Graeuio legere malis, *lustratae sunt*. Sic et Eumenius, *in gratiarum actione*, cap. VII: *tamen illo defledere, et urbem illam sola opis tuae expectatione uiuentem illustrare dignatus es*. Eodem modo exponi possunt uerba Mamertini, *prior. paneg. cap. XIII, 4*: *Has prouincias tuas frequenter illustres*.

75. *Arces Monaeci Herculis*. Portus nobilis *Liguriae*, cui, et arci imminente, *Monoeci Herculis nomen est*. Virgilius, *Aen. VI, u. 831*: *Aggeribus socer Alpinis atque arce*  
 K Monoeci

- occupati putaremini, repente in medio Italiae  
 3. gremio apparuistis. Hos fructus capitis opè-  
 rum maximorum. Sic interim meritorum  
 conscientia triumphatis, dum triumphos ipsos  
 semper uincendo differtis; quod, quaecunque  
 pulcherrima facitis, continuo transitis, et ad  
 maiora properatis: ut, dum uestigia uestra  
 miramur, dumque uos adhuc esse in con-  
 spectu putamus, iam de uobis audiamus lon-  
 4. ginq̄ua miracula. Ita omnes prouinciae ue-  
 strae, quas diuina celeritate peragratís, ubi  
 fitis,

*Monoeci descendens.* Cellarius. Nunc Monaco, quod opidum  
 cum arce et portu in Liguria sinibus, Nicaeam uersus, quae  
 modo Nizza. Patarol. Seruius, ad citatum Virgillii locum,  
 ostendit, unde Hercules sit cognominatus Monoecus. *Diſus*,  
 inquit, *μόνοικος* (a *μόνος*, solus, et *οἰκῶν*, habitans,) uel  
 quod, pulsus omnibus, illic solus habitauit; uel quod in  
 eius templo nunquam aliquis deorum simul colitur: sicut in Iouis,  
 Minerua et Iuno; in Veneris, Cupido.

76. *Praeteribas.* Codex noster habet, *perterebas*;  
 sed minus apte: cum Maximianus istas arces Italicas et quie-  
 tas praesentia sua magis exhilaraturus, quam perterriturus,  
 fuisset.

77. *Occupati.* Non solum in nostro, sed et in Liui-  
 nei uetere, et Bertiniensi, Codicibus, scriptum est, *occupati*.  
 Vtrambibet eligas lectionem, parui refert.

78. *Meritorum conscientia.* Haec lectio iam in ali-  
 quot

fitis, uicissim nesciunt; sciunt tamen, uos ubique uicisse.

CAP. V. Sed de rebus bellicis uictoriisque uestris, sacratissime Imperator, et multi summa eloquentia praediti saepe dixerunt, et ego pridem, cum mihi auditionis tuae diuina dignatio eam copiam tribuit, quantum potui, praedicaui. Hodie uero, si de duabus rebus, 2. quas ad hoc tempus aptissimas, nisi fallor, elegi, dicere mihi, uestra fauente maiestate, contigerit; de ceteris ueniam silentii petam.

Non

quot libris excusis prodita est, et nunc Codicum MSS. auctoritate stabilitur, cum antiquiores editiones inquinatae haberent, *meritoria conscientia.*

79. *Triumphos ipsos - differtis.* Exemplum commemorauit ad priorem Mamertini panegyricum, quod Diocletianus et Maximianus triumphum distulerint, sibi A. C. 287 a senatu Romano decretum, et nummo cuso memoriae proditum.

80. *Et ego pridem - praedicaui.* Nempe in priore panegyrico, ubi hic Mamertinus natalem Urbis Romae, praesente Maximiano, celebrauit, simulque utriusque Imperatoris res eousque bello gestas collaudauit.

81. *Aptissimas.* Priores editores minus apte exhibuerunt, *optatissimas.*

K 2

82. *Rem-*

3. Non commemoro igitur uirtute uestra rem-  
publicam faeuiffimo dominatu liberatam.  
Non dico, exacerbatas faeculi prioris iniuriis,  
per

82. *Rempublicam faeuiffimo dominatu liberatam.* Cellarius hoc refert ad Apri et Carini tyrannidem. Et sane Aper Cari Imperatoris praefectus fuit, ut Vopifcus narrat. Deinde elatior factus a Numeriani caede confilium inuadendi Imperii cepit; sed eam caedem uindicauit Diocletianus, poftea Augustus. Magis uero Carinus, Cari filius natu maior, homo omnium contaminatiffimus, omnia tyrannorum facinora exercuit. Referente enim Eutropio, *lib. VIII, cap. 19, et 20, omnibus fe fecleribus inquinauit; plurimos innoxios filijs criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit.* - *Hunc Carinum, omnium odio et deteftatione uiuentem, Diocletianus apud Mar- gum ingenti praelio uicit.* etc.

83. *Exacerbatas faeculi prioris iniuriis - prouincias.* Sic et Liuius, *lib. XXVIII, cap. 29: Multitudo exacerbata superbia atque auaritia Poenorum ad Romanos inclinauit.* Sicuti autem faeuitia imperii atque indignitate exasperantur animi ciuium; ita clementia et moderatione continentur in officio, aut facilius ad obfequium reducuntur. *Quae enim natura sunt aspera.* ut ille ait, *molli manu et leui leniuntur.* Vix autem dubitamus, quin Mamertinus hoc loco respiciat rusticanam *Bagaudarum* factionem, qui magistratuuum Romanorum iniquitate exasperati rebellant; at leuibus procliis et quadam moderatione a Maximiano uicti redierant ad obsequium. Eutropius, *lib. VIII, cap. 20: Cum tumultum,* inquit, *rusticani in Gallia concitaffent, et factioni suae Bagaudarum nomen imponerent; ad subigendos eos Diocletianus*  
Maxi-



per clementiam uestram, ad obsequium  
rediisse prouincias. Mitto etiam dies fe-  
stos, uictoriis triumphisque celebratos.  
Taceo

*Maximianum Herculum misit; qui lenibus proeliis agrestes domuit, et pacem Galliae reformauit. Conf. Mamertinus, in priore panegyrico, cap. III, 3. Causam exacerbatorum Bagaudarum indicat Saluianus, lib. VI de gubernatione Dei, pag. 91: De Bagaudis nunc mihi sermo; qui per malos iudices et cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam ius Romanae libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdidērunt. - Vocamus rebelles, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudae facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus iudicum, nisi eorum proscriptio- nibus et rapinis, qui exactionis publicae nomen in quaestus prop- rii emolumentum uerterunt, et indictiones tributarias praedas suas esse fecerunt? etc. De nomine bagaudarum non nihil attuli, P. I Obseruat. ad paneg. I Mamertini, pag. 36.*

84. *Dies festos.* Sic Maximianus Treuiris, Kalen- dis Ianuariis, A. C. 287, auspicalem primi consulatus sui diem uictoria triumphoque celebrauit, commemorante Mamertino, in priore panegyrico, cap. VI; ubi is, eodem die, ex acie cum triumpho rediisse, et totam istam ciuita- tem laetitia, et exultatione, et aris flagrantibus, et sacri- ficiis, et odoribus accensis, impleuisse dicitur. Sic eodem panegyrico Mamertinus, XXI Aprilis, A. C. 298, praesente Maximiano, natalem Urbis Romae Treuiris ce- lebrauit.

Taceo tropaea Germanica, in media defixa  
 4 barbaria. Transeo limitem Raetiae, repen-  
 tina

85. *Tropaea Germanica.* Scholiastes ad Aristophanis *Plutum*, II, III, 39, docet, *tropaeum* esse, quod in uictoriis fecerint ueteres, murum, uel lapidem magnum, adde truncum arboris, aut columnam aeneam, ponentes, et in illo scribentes res aduersus hostes gestas: uocari tale monumentum *Tropaeum* a τροπῆ, quia hostium fuga illic facta. Huiusmodi uero columnae, uel trunco, loricae, galeae, scuta, et alia ab hostibus capta spolia, imponi solita. Rei contra Germanos a Maximiano gestae meminit Mamertinus, *Paneg.* I, cap. VII, 2: *Quod maius euenire potuit illa tua in Germaniam transgressione?* Et cap. VIII, 2, idem Maximiano tribuit *spolia Germanica*. Possidemus nummum aereum, in quo Maximianus ob istas uictorias promeruit *Germanici* cognomen; quem nummum non commemorauit Mediobarbus. In aduersa parte conspicitur caput laureatum, cum inscriptione: MAXIMIANVS PIVS AVGVSIVS GERMANICVS. In auersa parte stat figura, quae et dextra et sinistra manu tenet signa militaria, cum epigraphe: FIDES MILITVM. Huius nummi figuram alio tempore exhibebimus. Additae sunt hae literae: T. C. forte, Treuiris Cusum.

86. *Transeo limitem Raetiae* etc. Limitem *Raetiae* prolatum fuisse a Diocletiano, P. II obseruat ad *paneg.* I Mamert. cap. VIII, 1, pag. 12, commonstrauit: quamuis tanta esset istorum duorum Imperatorum concordia, ut omnes rerum a se gestarum laudes communes inuicem esse uellent. Ceterum, uulgo quidem *Raetia* et *Rhaetia* promiscue scribi

tina hostium clade promotum. Omitto  
Sarmatiae uastationem, oppressumque capti-  
uita-

feribi solet; malimus tamen nunc priorem scribendi rationem  
sequi, quam et Cellarius comprobauit, in *Orthogr. pag. 49.*

87. *Sarmatiae uastationem.* Laurea etiam Sarmatica  
Diocletiano, qui Sarmatas ad Danubium obtulit, adscri-  
bitur infra, *cap. VII, 1. Sarmatiae* duae sunt: quarum,  
quae occasum spectat, Europaea, complectebatur Russiam  
hodie dictam cum Poloniae regni parte, et Liuania, ac  
Lithuania; quae ortum respicit, *Asiatica* cognominata,  
Tartaros, Circassos, et Morduitas, comprehendit. Si  
dixeris: quid uero sibi uult nummus ex Begeri *Thef. Bran-  
denb. T. III, pag. 781* supra allatus? In huius anteriore  
parte cernimus caput laureatum Maximiani, adscriptis his  
uerbis: MAXIMIANVS AVGVSTVS, In parte posteriore quatuor  
figurae militares, eaeque sacrificantes, et quarum duae dex-  
tras iungunt, adstant arae accensae ante ostium castrorum  
praetorianorum, quia uel uota diis pro uictoria persoluerunt,  
uel post uictoriam foedus cum hoste percusserunt. Legitur  
ibi haec inscriptio: VICTORIA SARMATICA. Nonne igitur,  
dices, laurea Sarmatica, secundum hunc nummum, magis  
ad Maximianum, quam ad Diocletianum, referenda? Sed  
respondemus, nihilominus eam ipsam uictoriam, propter  
insignem, de qua diximus, illorum concordiam, in num-  
mis ad utrumque Imperatorem relatum esse. Confer infra  
*cap. VII huius panegyrici.* Ita uero etiam apud Mediobar-  
bum, *pag. 426*, uidemus annotatos Diocletiani nummos,  
in quibus pariter, ac in nummo Maximiani, VICTORIA  
SARMATICA designatur. Eutropius, *lib. VIII, cap. 25*,  
genē-

uitatis uinculis Saracenum: etiam illa, quae armorum uestrorum terrore facta sunt, uelut armis gesta. Praetereo Francos ad petendam pacem cum Rege uenientes, Parthumque 5. uobis munerum miraculis blandientem. No- uam mihi propono dicendi legem, ut, cum omnia

generatim de Diocletiano et Maximiano, et Caesaribus isto- rum temporum: *Varia deinceps et simul, et uirum, bella gesserunt, Carpis et Basternis subactis, Sarmatis uictis: quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locarunt.*

88. *Saracenum. Saraceni*, Arabum gens uaga et in- culta; cuius gentis mores late describit Ammianus Marcellinus, *lib. XIII, cap. 5.* Nihil alibi in historia Diocletia- ni et Maximiani de his Saracenis legere meminimus.

89. *Armorum uestrorum terrore facta.* His Mamerti- nus respicit ea, quae iam *paneg. I, cap. VII, 5,* dixerat. Nulla autem pulchrior atque felicitior est uictoria, quam in- cruenta; ubi hostes sine pugna et sanguine, uel solo armo- rum terrore, uel auctoritate Imperatoris, inducti, sponte se dedunt. Sic Scipionem belli terrore plurima peregisse, narrat Liuius, *lib. XXVIII.* Sic Plinius *Paneg. cap. XXVIII, 1,* laudem hanc tribuit Traiano, cum dicit, eum *Germanici nomen iam tum meruisse, cum ferociam superbiamque barbarorum, ex proximo auditus magno terrore cohibuerit. Rhenumque et Euphratem admiratione famae suae coniunxerit.* Idem Plinius, *lib. II, epist. 7: Spurinna,* inquit, *Bructe- rum Regem uel et armis induxit in regnum, ostentatoque bello, fero-*

omnia uidear silere, quae summa sunt; ostendam tamen, inesse laudibus uestris alia maiora.

CAP. VI. Quae igitur illa sunt? PIETAS, sacratissime Imperator, atque FELICITAS. Nam primum omnium, quanta est uestra erga deos pietas? quos aris, simulacris, templis, donariis, uestris

*ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum uictoriae genus, errore perdomuit.*

90. *Francos ad petendam pacem cum Rege uenientes, Parthumque etc.* De his iam locutus est Mamertinus, *paneg. I, cap. X, 3, seqq.* Meminit ibidem etiam munusculum, sed a Persarum Rege acceptorum; prout et *cap. VIII, n. 2, Persica dona* uocat. Tunc uero Persiae et Parthiae regna erant coniuncta. *Franci* erant Germani, qui tunc non solum Galliam, sed etiam cum Saxonibus mare, infestabant, teste Eutropio, *lib. VIII, cap. 21; et lib. X, cap. 3.*

91. *Quanta est.* Verbum substantiuum, *est*, quod in quibusdam libris excusis omissum fuit, restituimus ex Codice nostro, et libris Gudianis; cum satis commodam hic sedem habeat, et iam a Cuspiniano fuerit expressum.

92. *Donariis. Donaria*, quae tum ex uoti publici, aut priuati, obligatione, tum ex liberalitate, diis offerebantur, erant uaria. Solenne autem praecipue fuit, si quando ingens periculum, aut laborem grauiorem, praeuiderent, uota diis suis praesidiis nuncupare, quae postea periculo, aut labore, defuncti, soluere dicebantur. Potissimum tamen *donaria* audiebant, quae uel usibus sacris conuenirent, uel ornamento et honori deorum in templis, aut alibi, locarentur; siue paterae essent, siue uasa summorum artificum, clypei, uestes, coronae ex auro et gemmis, tabulae uotinae,

uestris denique nominibus adscriptis, adiunctis imaginibus, ornatis, sanctioresque feceritis exemplo uestrae uenerationis. Nunc enim uere homines intelligunt, quaenam potestas deorum, cum tam impense colantur a uobis. Deinde

aut alia huius generis. Quod argumentum egregie illustrauit Iac. Philippus Tomafinus, *libro de donariis et tabellis uotiuus*.  
 93. *Vestris denique nominibus adscriptis*. Disputant, an et quomodo hi Imperatores nomina sua adscriperint? Cellario tradente, non templis, nec deorum simulacris, sed donariis suis, Imperatores nomina adscriperunt sua. Sed quidni etiam templis et simulacris deorum, more aliorum Imperatorum, si qua ex uoto condidere? Quidam, notante Grutero, arbitrati sunt, ipsos Imperatores apposuisse diis nomen Augusti, uti adhuc obseruamus monumenta Ioui Augusto, Marti Augusto, Iunoni Augustae, Mineruae Augustae, atque aliis, inscripta. Ea enim apud ueteres paganos adulationum fatuitas inualuerat, ut putarint, deorum suorum honores augeri et quasi consecrari, adiectione cognominis Augusti. Iacobus de la Baune existimat, Imperatores hos Iouis et Herculi nomen suis donis adscripsisse, ad maiorem deorum uenerationem. Rectius Gruterus censuit, eos non nisi simpliciter sua nomina, Diocletiani et Maximiani, adscripsisse. Et testatur id, praeter alia, monumentum, quod Aquileiae asseruatur, et cuius hanc breuem inscriptionem affert Muratorius, in *Novo Thesauro Inscriptionum ueterum*, T. I, pag. XXV, 2.

DEO SOLI  
 DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS  
 INVICTI AVGG.

94. Quae

Deinde, id quod maxime deorum immortalia<sup>3.</sup>  
 lium cum religione coniunctum est, quanta  
 uosmet inuicem pietate colitis! Quae ulla un-  
 quam uidere saecula talem in summa potesta-  
 te concordiam? Qui germani geminiue fra-  
 tres

94. *Quaenam potestas deorum.* Nondum satis sanus est hic locus. Primae editiones, et adhuc anno 1642, Parisiensis, pro, *quaenam*, prodidere, *ac*; quam lectionem etiam noster exhibet Codex. Senserat uero iam Rhenanus, hic latere ulcus; unde ad oram libri sui scripserat: *Forſtan legendum*, quaenam potestas, uel quaenam magnitudo, seu ſublimitas, *ac* potestas. Quam annotationem etiam H. Stephanus ad marginem ſui libri tranſtulit. Vt cunq;ue eſt, per particulam, *ac*, lacuna quaedam indicatur; quam ſine ope Codicum certo redintegrare non poſſumus. Expleuit interim eam ex illa ipſa Rhenani, uel Langii, coniectura, Iacobus de la Baune, dimiſſa particula, *ac*, et ex aduerſo adſcita uoce, *quaenam*; quam etiam Cellarius et Patarol adſciuerunt, et nos in praefenti etiam admittimus, cum ſententiam Martini ſic ſatis ſuſtineat.

95. *Qui germani geminiue fratres.* Germani fratres, quaſi eodem germine nati; proprie qui ex eodem patre et matre ſunt procreati; quamquam etiam uterini, et ex ſolo patre geniti, aliquando ſic dicantur. *Gemini* autem, ſiue *gemelli*, duo fratres uno partu editi. Neque tamen iſti germani, *ac* ne quidem gemini, tam concorditer ſemper uiuunt, quin a ſe inuicem diſſentiant, aut in ipſam hoſtilitatem erumpant; quod uel Romuli et Remi, fratrum geminorum, exemplo conſtat. At Diocletianus et Maximianus, quamuis non

- tres indiuiso patrimonio tam aequabiliter  
 4. utuntur, quam uos orbe Romano? Ex quo  
 profecto manifestum est, ceterorum homi-  
 num animas esse humiles et caducas; uestras  
 5. uero coelestes et sempiternas. Obtreçant sibi  
 inui-

natura, sed saltem dignitate, fratres, omnium concordissime  
 inter se uixisse dicuntur. De tali concordia fratrum etiam  
 Gruterus ex Iustino notauit exemplum, Artemenis et Xerxis,  
*lib. II, cap. 10: Tanto moderatius tum fratres inter se regna  
 maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.*  
 Ceterum, Quinctilianus, *instr. orat. lib. VIII, cap. 4*, tradi-  
 dit, *quaedam ordine permutato fieri superuacua, ut fratres gemi-  
 ni: nam, si praecesserint, gemini; fratres addere, non esse  
 necesse.* Sed haec obseruatio non est perpetua; neque enim  
 solum Mamertinus, sed et Plautus, Cicero, et Liuius, eius  
 nullam habuere rationem: quod commentatores iam pluri-  
 bus exemplis ad citatum Quinctiliani locum obseruarunt.

96. *Aequabiliter.* Puteolanus, Rhenanus, Nauius, Ste-  
 phani, Liuiueius, edidere, *aequaliter*; Cuspinianus, et re-  
 centiores, habent, *aequabiliter*; quibus accedit etiam Codex  
 noster, et uterque liber Gudianus. Vtroque aduerbio, fere  
 sub eadem notione, identidem utitur Cicero: u. g. *pro Flacco*,  
*cap. 36: Communem hereditatem, quae aequaliter ad utrum-  
 que lege uenisset, concessit adolescenti, propinquo suo.* Idem, *lib.*  
*II de offic. cap. 11: Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi ae-  
 quabiliter praedam dispertiat, aut interscitur a suis, aut relin-  
 quitur.* Magis tamen nunc nobis placet *aequabiliter*; quod hoc  
 loco notat, *pari aequanimitate, aequo animo*; unde et ipse Ma-  
 mertinus mox, § 6, dicit: *Vobis - tam facili aequanimitate  
 sunt:*



inuicem artifices operum sordidorum: est inter aliquos etiam canorae uocis inuidia; nihil denique tam uile, tamque uulgare, cuius participes malignis aemulationis stimulis uacent: uester uero immortalis animus  
 omni-

*sunt communia.* Talis aequus animus non semper aequalitatem arithmeticam, sed magis geometricam, respicit. Hinc Plinius, *lib. VIII, epist. 2: Erat expeditum, omnibus remittere aequaliter; sed non satis aequum.* Ita etiam *aequalis praedae partitio*, cuius meminit Cicero, *lib. II de offic. cap. 11*, non semper respicit *aequales partes*; sed et pro *proportione laborum et periculorum aequas*, siue *aequaliter diuisas*.

97. *Obtreſtant ſibi inuicem.* i. e. aemuli sunt, et inuidet detrahuntque ſibi inuicem. Suetonius, in *Tiberio*, cap. 52: *Tiberius Germanico usque adeo obtreſtauit, ut et praecleara facta eius pro ſuperuacuis eleuarit.* Nepos, III, I, 1: *Aristides et Themistocles obtreſtarunt inter ſe.* Tacitus, *de cauſis corruptae eloquentiae*, cap. XV, 8, uerbum hoc cum caſu accuſandi coniunxit: *Qui inuicem ſe obtreſtauerunt, et ſuperſunt aliqua epistoſis eorum inſerta, ex quibus mutua malignitas detegitur; non eſt oratorum uitium, ſed hominum.* Mamertinum autem ſequentes Heſiodi uerſus praec oculis habuiſſe, iam alii notarunt:

Καὶ κεραιμὸς κεραιμῆ ἰοτέει, καὶ τέκτωνι τέκτων,  
 Καὶ πτωχὸς πτωχῷ Φρονέει, καὶ αἰδοῦς αἰδοῦ.  
 h. e. interprete Nic. Valla:

*Inuidet aut ſigulus ſigulo, uel egenus egeno:*

*Siue faber fabro, dulcisque poeta poetae.*

98. *Aemulationis stimulis.* In *Puteolani, Rhenani, Nauii*, et *H. Stephani*, libris, pro *stimulis* perperam expres-

6. omnibus *opibus*, omnique fortuna, atque ipso est maior imperio. Vobis Rhenus, et Ister, et Nilus, et cum gemino Tigris Euphrate,

sum est, *stipulis*. Melius Cuspinianus, Liuineius, et recentiores, prodidere, *stimulis*; quae lectio etiam Codicis nostri et utriusque libri Gudiani auctoritate comprobatur. *Stimuli* autem proprie dicebantur aculei, et fustes cuspidati; quibus boues et equi incitarentur; cuiusmodi aculeorum figuram exhibet Philippus Rubenius, *Electior. lib. I, cap. 30*. Deinde *stimuli* per translationem dicuntur quaeuis incitamenta et irricamenta. Silius Ital. *lib. VII, u. 512*: *Patrum Saturnia mentes Inuidiae stimulo fodit, et popularibus auris.*

99. *Omnibus opibus*. Quidam libri habent, *omnibus operibus*; non prorsus inconcinne: sed melior, et cum sequentibus uerbis, *fortuna, imperio*, conuenientior, ista, quam proposuimus, lectio nobis uisa est; cum hanc dudum Puteolanus, Cuspinianus, Nauus, Liuineius, H. Stephanus, et Gruterus, euulgarint, et noster nunc quoque confirmet Codex.

100. *Cum gemino Tigris Euphrate*. Tigris et Euphrates sunt duo fluuii maiores Armeniae maioris, qui in sinum Persicum exeunt. *Geminum*, putat Patarol, a Mamertino uocari *Euphratem*, quod cum Tigri se commisceat, prope Cresiphontem; inde cum eodem in Persicum sinum elabatur: seu quod ex duobus fluuiis concurrentibus coalescat. Cellarius ad explicandum hunc Mamertini locum ista Plinii maioris uerba, ex *lib. V, cap. 24*, affert: *Scinditur Euphrates a Zeugmate octoginta tribus millibus passuum circa uicem Massicen; et parte laeua in Mesopotamiam uadit per ipsam Seleuciam, circa*  
eam

te, et uterque, *qua Solem accipit et reddit*, oceanus, et quidquid est inter ista terrarum, et litorum, tam facili sunt aequanimitate com-

*eam praefluentis infusus Tigri; dexteriore autem alveo Babylo-*  
*nem, quondam Chaldaecae caput, petit, mediamque permeans,*  
*distrabitur in paludes.* Plura de his fluuiis tradit *lib. III*  
*Geogr. antiq. cap. XI.*

101. *Vterque, qua Solem accipit, et reddit, Oceanus.*  
Scilicet, qua Oceanus accipit solem, est occiduus; qua red-  
dit, est Eous Oceanus. Hic locus diu cubuit in morbo; cum  
pro duabus uocibus, *qua solem*, ubique legeretur, *qualem*.  
Cui uitio medelam afferre Liuius est conatus, sed ita, ut  
nimis audacter plures simul uoces mutarit. Effinxit enim in-  
de: *quam late cedit et redit Oceanus. i. e. aestuat, παρα-*  
*Φρακτικός.* Propius rem acu tetigit Gruterus, qui sola uoce,  
*qualem*, rursus in duas diducta, procutit, *qua lucem*; quam-  
uis hanc emendationem nondum receperit in contextum;  
recepit adeo primus, Cellarius, et hunc secutus est Patarol.  
Sic luculenta hinc euadit sententia. Nobis tamen uisum est,  
eadem manente sententia, probabilius ex calamo Mamertini  
fluxisse, *solem*, quam *lucem*; cum prior syllaba uocis, *solem*,  
forte in uetustis membranis obsoleta non satis agnosci potu-  
erit a librario; aut cum ex uoce diuisa prior syllaba, *so*, in  
fine uersus antecedentis relicta, ab eodem oculis praeterita  
fuerit; unde ex *qua et lem*, natum est illud, *qualem*. Sic  
uero Mamertinus descripsit orientem et occidentem, ut fere  
idem dixerit, quod Eumenius, in *paneg. ad Constantium*  
*Caesarem, cap. III: Salutem gentium - prouidetis, qua dies ori-*  
*tur, et praeteritur, et conditur.* Licet enim totus terrarum  
orbis mari circumfundatur; ueteres tamen Oceanum potissi-

inueniunt

7. communia, quantum sibi gaudent esse communem oculi diem. Ita duplices uobis diuinae potentiae fructus pietas uestra largitur, et suo uterque fruitur et consortis imperio.

mum diuiserunt in *orientalem*, siue *Eoum*; et *occiduum*, siue *Atlanticum*; uti Eumenio l. c. dicitur *orbis duplici discretus Oceano*. Quid autem frequentius occurrit apud poetas, quam solem, si occidat, dici, *immergi mari, descendere in undas, tingi oceano*; at, si oriatur, dici *reuocare equos e gurgite uasto, se tollere ab undis*, et quae sunt longe plures huius generis formulae.

102. *Quantum sibi gaudent esse communem oculi diem*. Liuius huiusmodi est, pro *quantum* fortasse legendum, *quam*; ut magis congruat cum antecedente particula, *tam facili*. Arque, en, hanc scripturam euidenter exhibet Codex noster, *quam sibi gaudent*. Nondum tamen nobiscum constitutum habemus, exturbare lectionem ubique uulgatam; cum eiusdem loquendi rationis exempla etiam alibi occurrant. Confer uerba Iustini, in *nota* 95. allata. Illud adhuc monendum, in his uerbis a Cuspiniano praetermissam esse uocem, *oculi*; quam tamen utique requirere uidetur uerbum antecedens, *gaudent*.

103. *Et suo uterque fruitur, et consortis imperio*. Similes fere argutias notauimus ad panegyricum Plinii, cap. XCI, 7, pag. 469. Sic ipse Plinius, l. c. de suo et collegae sui, Tertulli, consulatu: *Vterque collegae consulatu, tanquam iterum suo, gaudet. - nos duos consulatus accipimus simul, alterque in altero consules, sed iterum et pariter sumus*. i. e. *Vterque gaudet fruiturque non tantum consulatu sibi delato; sed etiam gaudet ac fruitur consulatu collegae, haud secus ac suo, eoque quasi iterum sibi delato*.

GRATVLATIONES.

**T**uis ingenii, non Herculis excitat ardor;  
 Non leue, sed solidum, quaeris amasque  
 decus.

IONINGERE, ergo docto in certamine stabis,  
 Musarumque choro iudice, Victor eris.

Industria morumque integritate  
 eximio I. S. IONINGERO,  
 gratulationis causa,  
 dedit

C. G. SCHVVARZIVS.

**O**decor Aoniae, mi IONINGERE, cohortis;  
 Pectoris atque animi portio magna mei!  
 Quem PROCERES Almi nobis iunxere sodalem;  
 Quem dotes mentis, spesque fidesque, probant.  
 Sic nunc doctorum uolitare per ora uirorum  
 Incipis, et studii das bona signa TVI.  
 Cursus hic est primus; sunt prima pericula: Perge,  
 Et certo meritis digna brabea feres.

PRAECLARE DOCTO POLITISSIMOQUE  
 DISSERT. HVIVS DEFENSORI  
 Contubernali suo suauissimo  
 luculentum eruditionis Specimen  
 gratulatur

CONRADVS NOPITSCH, HENFENFELDA-NORIC.  
 Opponens.

Monsieur

Monſieur,

**P**ermettez moi de Vous temoigner la joie que j'ai reſſentie, lors que je Vous ai vu aujourd'hui combattre avec tant d'adreſſe. Le n'en ſuis pas ſeulement bien aïſe; mais je ſuis auſſi excité par Votre bel exemple à continuer avec plus d'ardeur mes études. Cela nous donnera à Vous et à moi l'occaſion de nous élever. Cependant je Vous ſouhaite que la fortune Vous comble de tout ce que Vous méritez. et que Vous me conſerviez toujours dans Votre cher ſouvenir. Pour moi, je me ſerai un ſenſible plaïſir de Vous donner en tout temps des marques de ma fidelle amitié, avec laquelle je ſerai toute ma vie

Monſieur

Votre très humble et obéiſſant Serviteur  
et très fidelle Ami

MARTIN KOHLMANN, Oppoſant.

**D**A DU, GELEHRTER FREUND, heut dieſe Prob gevvieſen,  
Von Deiner VViſſenſchaft, und eiffrigen Bemühn;  
So muſſ der reine VVunſch aus meiner Feder flieſen,  
Daſſ du den Lohn daſür in balden mögſt ziehn:  
Mir aber vvünſch ich nichts als deiner Freundschafts Zeichen,  
Daſſ mein gefaſter Sinn den EndzvvECK mögt erreichen.

*Mit dieſen vvenigen ſtattet dem Wohl-Edlen Herrn  
Reſpondenten ſeinen ergebener Glück-Wunſch ab,  
und empfehlet ſich zugleich zur fernern beſtändigen  
Freundschaft*

I. A. QVENTZER, Opp.

COROLLARIA.

- I. Sacra Scriptura cum fundamentis Iuris Naturae appime convenit.
- II. Aequè commode in lingua vernacula, ac in exotica, aliquis philoſophatur.
- III. Ideae omnes originem trahuunt a ſenſione, uel interna, uel externa.
- IIII. Conſentaneum eſt iuri naturae dictum Amalasuinthae ad Iuſtinianum, apud Procopium, in hoſtium eſſe partibus, qui ad bellum neceſſaria hoſti adminiſtret.
- V. Medici rectè interdum falſa loqui poſſunt.
- VI. Aequalitas rerum non eſt adaequatum fundamentum iuſtorum con-  
tractuum.


Q 3949 \* 8

Q 3949 Q

X 266 59 38

Retro V

Ant.







OBSERVATIONVM PHILOLOGICARVM  
AD  
CL. MAMERTINI  
PANEGYRICVM GENETHLIACVM  
MAXIMIANO AVG. DICTVM

PARS ALTERA

QVAM

*PRAESIDE*

CHRISTIANO GOTTLIB. SCHVVARZIO  
COM. PAL. CAES. ET ACAD. ALTORFINAE SENIORE

XII IAN. A. S. R. CIOIO CCXXXVII

*DISQVIVISIONI CYCLICAE  
SVBIICIT*

IOHANNES STEPHANVS IONINGER  
NORIMBERGENSIS

*ad not. 62.*



*ALTORFII NORICORVM*

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

